

sime potuerit ejus colloquio perfrui, illique animi sui fluctuationes exponere; ibi enim sic scribit: « Non enim quærere ab Ambrosio poteram, quod volebam, sicut volebam, secladentibus me ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat. » Et paulo inferius n. 3: « Sed certe mihi nulla dabatur copia seiscitandi, quæ cupiebam, de tam sancto oraculo doctoris illius, nisi cum aliquid breviter esset audiendum; æstus autem illi mei otiosum eum valde, cui refunderentur, requirebant, nec unquam inveniebant. Et eum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem omni die Dominico audiebam; et magis magisque mihi confirmabat omnes versutarum calumniarum modos, quos illi deceptores nostri adversus divinos libros innectebant, posse dissolvi. » Ubi hic private disputationes cum Ambrosio locum habere possunt, juxta supposititium sermonem ejusdem? Ubi primus (juxta relationem Landulphi sub Datii nomine) ab Augustino sermo de Incarnatione auditus in Ecclesia, in eoque subita animi mutatione et corporis rigore ad fidem statim traductus? Si post toties auditum Ambrosium emerit ex erroribus Manichæorum, et ut ipse fassus est matri suæ interea advenienti Mediolanum, ita illos respuit, ut nec Manichæus, nec Christianus esset, sicuti expresse narrat lib. vi, cap. 1, sed aliam sectam declinaret academicorum dubitando de omnibus, ut in lib. v, cap. ultim.

(21. At secundo Landulphiana narratio fallitur, ut eo quod asserit statim conversum ad fidem Augustinum audito eo sermone. Per quot ambages et circuitus S. doctor Christianam fidem susceperit, eodem resistente divinæ gratiæ, ipsemel testatur et deflet in libris *Confessionum*. Hoc didicisse sufficiat; cum anno 385, Bautone consule (cui Kalendis Januarii aperienti annum novum Augustinus Panegyrim Mediolani dixit, ut constat ex lib. iii *Contra epist. Petilianii*, cap. 25), ipse jam a paucis mensibus in eam civitatem professor rhetoricæ conductus fuisset; statimque Ambrosii concionibus declarari cœpisset, adhuc perpétuo æstu fluens et refluens, nonnisi anno 386 plene de fide suscipienda deliberavit; idque, non occasione sermonis Ambrosiani aut prodigiosi illius stuporis; sed lectione Epistolarum Pauli, prævia illa divinitus delapsa ad aures voce: *Tolle, lege*, ut fusius narrat lib. ix, cap. 2, atque hæc omnia contigisse anno 386 (id est fere uno integro ab auditis Ambrosii concionibus) invictè ostendunt accuratiores scriptores Vitæ S. Augustini, et card. Norisius in *Somniis*; Fr. Macedo, som. 32, pag. 1228, t. III *Oper.* edit. Veronen. Ex quibus etiam tertio falsitatis arguitur ea narratio Landulphiana, dum asserit *paucos post dies* ab auditu Ambrosio, aquis baptismatis ablutum Augustinum; melius dixisset *paucos post annos*. Nam baptizatus est anno 387, mense Aprilis in Sabbato sancto una cum filio Adeodato ex concubina suscepto atque amicissimo suo Alipio, ut constat

ex ix lib., cap. 6 *Confessionum*. Cum igitur in quæstione involvente factum proprium S. Augustini, habeamus rem totam aliter ab eo narratam ac tradunt monumenta, quibus adversarii omnes nituntur, nemo, nisi decipior, illis fidem adjungere poterit, quin aut erroris aut mendacii sanctum doctorem coarguat.

(22. Quisnam igitur auctor? Nullus certe potiore jure canticum hocce sibi vindicare potest, quam S. Ambrosius, cui passim ascribitur; modo statuam jam illud fuisse ab Ambrosio compositum atque in Mediolanensi Ecclesia jam decantatum fuisse, antequam de Augustini baptismo cogitaretur. Hanc sententiam, quæ Gavanti est, Petri Puricelli in *Dissertatione Nazariana*, cap. 39, num. 7 et 8, atque Edmundi Martene ad caput 2 *Regulæ S. Benedicti*, eo libentius amplectimur, quia aptissima est conciliare discrepantes auctorum opiniones, et si non in totum, magna ex parte tuetur communem persuasionem, quæ hymnum hunc Ambrosii et Augustini vult. Dato enim, quod ille, auctore Ambrosio, jam fuerit in usu apud ejus Ecclesiam, non difficile creditur decantatus potissimum fuisse occasione baptismatis celeberrimi illius, ex quo deinde profluxerit nomenclatura illa, quod alio nomine apud populum non audiret, quam *Hymni SS. Ambrosii et Augustini*.

(23. Ad hanc confirmandam sententiam præsto est Ambrosius ipse in oratione *De basilicis non tradendis*, ubi ait: « Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt Ariani. Plane ne hoc abnuo. Grande carmen istud est, quo nihil potentius quam confessio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur. Certatim omnes student fidem fateri, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum norunt versibus prædicare. » Fateor, hic Ambrosium universim loqui de suis hymnis; at si potissimum dixerò intendisse digitum in hymnum hunc *Te Deum*, præter auctoritatem doctissimi Puricelli, me non absurda loqui suadent 1° quod hic loquitur de expressa confessione Trinitatis; 2° de confessione, qua præcipue armarentur fideles contra Arianorum dolos, Filii divinitatem et perfectam æqualitatem cum Patre impugnantes; et 3° de confessione, quæ quotidie a populo decantaretur. Concedo plerosque alios Ambrosii hymnos in ultima strophea habere breviter confessionem Trinitatis; fateor etiam eandem confessionem contineri in Ambrosii hymnis: *Jesu redemptor gentium, et Deus creator omnium et splendor paternæ gloriæ*; at nullus ex his inscribitur *Confessio Trinitatis*. Canticum vero *Te Deum* expressa est confessio; incipit enim *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia, Patrem immensæ majestatis. Venerandum tuum verum et unicum Filium* (vide quam apta sint contra negatam ab Ariani omousian Filii). *Sanctum quoque Paracletum Spiritum. Tu Patris sempiternus es Filius*: con-

tra eosdem Arianos, Filium factum in tempore docentes: *Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris*: en gloriæ æqualitatem in Filio, quem Ariani Patre minorem prædicabant. Item alios Ambrosii hymnos, qui offeruntur ad explicanda ejus verba, difficile suaderi potest quotidie a populo decantatos. At noster hymnus quotidianæ modulationi deputatus apparet. *Per singulos dies benedicimus te. Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire*. Igitur si quis verba Ambrosii perpendat, negare non potest, illis exprimi fusiorem aliquam Trinitatis et fidei confessionem quotidie a fidelibus recitatam; aut igitur hæc fuit Symbolum fidei; et hoc non patiuntur verba Ambrosii; aut hymnus iste, in quo summa quædam verba, inquam, Ambrosii; nam istud non objecissent Ariani tanquam canticum ipsius Ambrosii; aut hymnus iste in quo summa quædam deprehenditur confessionis fidei, præsertim circa Trinitatem et Incarnationis mysterium. Atque hinc factum ut in codicibus Vaticanis 52 et 85, apud Thomasium t. III *Oper.*, p. 64 inseribatur hoc canticum: *Hymnus in honorem S. Trinitatis*; et in aliis:

TEMERARIA PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, num. 36.

TEMPERANTIA.

Vide verb. VIRTUS, num. 120.

TEMPLA GENTILIUM.

(1. In templis, festivitibus et sacrificiis gentilium seu infidelium prohibentur Christiani tibicinibus, musicis instrumentis aliisque modis operam ipsis præstare seu

inservire. Benedict. XIV, tom. I, constitut. 107 incip. *Omnium sollicitudinum*, ubi plurima alia ad rem merito observanda.

TERRITORIUM SEPARATUM.

(1. Territorium separatum importat jurisdictionem in clerum et populum, in ecclesiis et loca. Benedict. XIV, tom. I, constit. 76 incip. *Apostolicæ servitutis*, § 6. (2. Territorium autem separatum prælato inferiori competere non censetur in loco intra certam

diocesim existente, nisi constet de privilegio Apostolico aut de immemorabili consuetudine. Idem, tom. II, const. 33 incip. *Inter multa*. Territorii separati jura ex mera denominatione nullius diocesis non probantur. Idem, *ibidem*.

TERTIARIUM, TERTIARIE.

SUMMARIUM.

1-2. Tertiarii et tertiariæ habentes requisita constit. Leonis X et decreti generalis sacr. congreg. Episcop. et Regul. innovantis et confirmantis ad id decreta sacræ congreg. Concilii, gaudent privilegiis, quibus gaudent Fratres ordinis, ejus Tertiariæ Regulæ habitum gestant. — 3. Assignantur requisita ex constit. Leonis X. — 4. Ex supra assignatis requisitis soli illi Tertiarii viri gaudent privilegiis sui ordinis, et exemptione ab ordinarii jurisdictione, qui collegialiter vivunt aut cum claustralibus habitant. — 5. Item solæ illæ Tertiariæ mulieres gaudent dictis privilegiis et exemptione, quæ virginalem seu cælibem, aut castam vidualem vitam ducunt in domibus suis, aut suorum consanguineorum vel affinium, facto prius voto simplici in manu sui superioris de servando vitam cælibem, aut castitatem vidualem sub habitu et regula proprii ordinis; non autem ad id requiritur quod di-

ctæ Tertiariæ collegialiter, ut Tertiarii, vivant aut claustralibus habitent. — 6. Ut prædictæ Tertiariæ gaudeant omnibus privilegiis sui ordinis, et exemptione ab ordinarii jurisdictione, requiritur etiam quod a superioribus regularibus admittantur ad habitum de expressa licentia ordinarii, et sint in ætate xl annorum, probatæ vitæ ac bonis moribus præditæ, et habeant de proprio, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam cum consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent. — 7. An autem prædictæ qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant, spectat ad ordinarium loci id declarare. — 8. Affertur ad id propria formula. — 9. An si omnia supra dicta requisita in allato decreto non servantur, professio sit nulla. — 10. Tertiariæ habentes prædicta requisita gaudent privilegio fori et exemptionis a gabellis. — 11. Unde ipsæ conveniri debent coram conservatore illius ordinis, cujus habitum deferunt. — 12. Item Tertiariæ habentes dicta requisita gau-

Hymnus SS. PP. in honorem S. Trinitatis, aut Confessio fidei.

(24. At, inquit cum Raynaudo et Merato, Ambrosius hic loquitur de hymnis constantibus versibus, carmine, etc., adeoque metricis; at hujusmodi non est canticum istud, igitur ad illud ejus verba referri non possunt. At prudenti cuique in verbis Ambrosii faciendâ magis vis est in eo, quod scribit de *confessione Trinitatis et quotidie decantata*, quam in vocibus *hymni, versus, carminis*, etc. Nemo enim est qui ignoret his nominibus sæpe vocari Psalmos ipsos, sequentias; Symbolum ipsum fidei, quæ omnia metro non constant, atque hic idem noster canticus et in plerisque codicibus, et ab auctoribus vocatur *hymnus*. Quidquid igitur alternatim canendo dicebatur in *Divina psalmodia, hymnus, canticum, carmen* vocalum reperitur: *Gloria in excelsis Deo, Doxologia Gloria Patri*, etc., *Trisagion Sanctus Deus*, passim dicuntur: *Hymnus angelicus, Glorificationis hymnus*, etc. S. Augustinus in psalmum cxlviii: *Hymnus scilicet quid est? Cantus est cum laude Dei. Si laudas Deum, et non cantas, non dicis hymnum.*

dent privilegio canonis. — 15. Tertiariæ habentes requisita const. Leonis X non sunt molestandæ pro solutione oneris, ut dicitur *Delle Bocche*. — 14. Item sunt immunes a gabellis etiam quoad animalia. — 15. Tertiariæ, quæ vivunt in congregatione absque clausura, non gaudent dictis privilegiis. — 16. Tales Tertiariæ possunt prohiberi, ne in communitate maneat, nisi professionem cum quarto voto de perpetua clausura emittant ad formam constitutionis S. Pii V. — 17. Consimiles Tertiariorum, seu mulierum congregationis, vel penitus dissolvuntur, vel si tolerentur, remanent sub omnimoda jurisdictione ordinarii. — 18. Tertiarii et Tertiariæ habentes requisita constitutionis Leonis X et dicti decreti generalis, si decedant, non sibi electa sepultura, et in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, communis sepultura pro ipsis reperitur, debent in ipsa sepeliri, alias sepeliri debent in parochiali. — 19. Si Tertiariæ post votum castitatis et professionem emissam, aliaque requisita servantes contrahant matrimonium, est quidem illicitum, sed tamen validum. — 20. Tertiariæ, quamvis dicta requisita habeant, acquirere non possunt legatum relictum pro puellis monachandis. — 21. Tertiarii utriusque sexus in claustris non viventes subijciuntur parochis quoad sacramentorum administrationem, nec possunt alteri peccata sua confiteri, quam confessario ab episcopo approbato. — 22. Tertiarii utriusque sexus non habentes dd. requisita, habitantes in propriis domibus, sicut alii laici, non gaudent privilegio fori, nec canonis, nec exemptionis ab oneribus publicis aliorum laicorum. — 23. Si tamen adsit alicubi consuetudo, ut fruatur privilegiis exemptionum, etiam non habentes dicta requisita, talis consuetudo debet servari. — 24. Tertiarios utriusque sexus ad habitum propriæ religionis admittere possunt omnes regulares ad id facultatem a Sede Apostolica obtinentes, et juxta legitimam consuetudinem cujusvis ordinis. — 25. Quoad Tertiarios utriusque sexus ordinis Minorum varia pro diversitate temporum, locorum et personarum emanarunt Apostolica decreta; at hic juvat adducere solum novissimas constitutiones ad id editas a Benedicto XIII. — 26. Et primo refertur constitutio incip. *Paterna Sedis Apostolicæ providentia*, edita pro Minoribus de Observantia, in qua varia ad eorum favorem disponuntur, et hic adducuntur. — 27. Deinde refertur constitutio incip. *Ratio Apostolici ministerii* edita pro FF. Capuccinis, in qua disponitur quod eorum Tertiarii fruatur gratis et indulgentiis concessis Tertiariis Fratrum minorum. — 28. Et successive refertur constitutio in cap. *Singularis devotio*, edita pro PP. conventualibus, in qua statuitur quod eorum Tertiarii gaudeant privilegiis et gratis spiritualibus cæteriis aliis Tertiariis concessis. — 29. Ast vero postremo idem Benedictus aliam edidit constit. incip. *Dilecti filii*, in qua denuo confirmavit quæ pro Tertiariis Minorum de Observantia in d. constit. *Paterna Sedis Apostolicæ*, etc., sancita sunt. — 30. Unde ex verbis istius ultimæ constitutionis

(1. Tertiarii et Tertiariæ habentes requisita constitutionis Leonis X et decreti generalis infra ponendi sacræ congregationis Episcop. et Regular. innovantis et confirmantis ad id decreta sacræ congregat. Concilii, gaudent privilegiis, quibus gaudent Fratres ordinis, cujus Tertiarie Regulæ habitum gestant: *Communis*, ex repetitis declarationibus, sac. congregationum, tum Immunitatis, tum Episcop. et Regular., ut abunde in decursu patebit.

(2. Requisita autem ex constitut. Leonis X incip. *Dum intra*, edita in concilio Late-

expresse patet quod in quibuscunque civitatibus et locis, ubi erectus est seu fundatus ordo, seu congregatio Tertiariorum utriusque sexus a Minoribus de Observantia, non potest amplius erigi nec fundari a PP. conventualibus et Capuccinis. Nec ab ipsis possunt ad habitum Tertii Ordinis admitti; alias nullis gauderent indulgentiis et privilegiis. — 31. Tertiarii utriusque sexus ordinis Minorum, etiamsi in propriis domibus sæcularibus habitent, nec habeant requisita Leonis X et allati decreti generalis sacræ congreg., gaudent omnibus indulgentiis quibus gaudent ipsimet Fratres minores ac moniales Sanctæ Claræ. — 32. Dicti tamen Tertiarii, quamvis gaudeant indulgentiis, si non habeant præfata requisita, non gaudent nec privilegio fori, nec canonis, nec exemptione aliqua ab oneribus et muneribus publicis aliorum laicorum. — 33. Nisi tamen alicubi adesset consuetudo, ut fruenterur privilegiis exemptionum, etiam non habentes dicta requisita. — 34. Ad hoc ut Tertiarii utriusque sexus in propriis domibus sæcularibus degentes gaudeant omnibus indulgentiis, quibus gaudent ipsimet Fratres minores et moniales S. Claræ, sufficit ut recipiant et deferant habitum juxta morem et formam, quæ pro diversitate regionum hæcenus ab eisdem Tertiariis servata est. — 35. Etiamsi sit parvus habitus seu parvum scapulare, ad n. 36. — 37. Habitum Tertii Ordinis non potest conferri nisi a superioribus religionis aut ab aliis delegatis ab ipsis, et nullatenus conferri potest ab aliis Tertiariis. — 38. Tertiarii utriusque sexus post integrum annum probationis seu novitiatus a die recepti habitus, professionem emittunt sub forma quæ hic datur. — 39. Et hæc formula professionis est ad tenorem præscripti in cap. secundo ejusdem regulæ Tertii Ordinis. — 40. Ex hac formula professionis clare stat dictam regulam fuisse a S. P. Francisco concinnatam. — 41. Assignantur quando et quomodo hic Tertius Ordo fuerit a Seraphico P. Sancto Francisco institutus, et sua regula corroboratus. — 42. Tertius Ordo S. P. F. est omnium aliorum origine primus. — 43. In coronatione Summi Pontificis post orationem Spiritus S. et B. M. Virg. sola illa S. P. N. Francisci canitur, et quare. — 44. Affertur mysteriosa et miraculosa Christi apparitio ac revelatio S. P. N. Francisco facta ad probationem et commendationem hujus Tertii Ordinis ab ipso instituti. — 45. Tertiarii utriusque sexus, non obstante hac sic emissa professione, per transgressionem præscriptorum in sua regula, nisi alias ad ea sint obligati ex divinis vel ecclesiasticis præceptis, nullum committunt peccatum nec mortale nec veniale. — 46. Affertur monitum de instructione ad id danda ipsis Tertiariis, antequam professionem emittant. — 47. Tertiarii nostri Ordinis in sæculo degentes possunt uti nostro Breviario Franciscano. — 48. Alia ad rem, *remissive*. — 49. Tertiarii, qui nondum compleverint an. xx nequeunt retineri in conventibus. — 50. Additur attendenda specialis constitutio Benedicti XIII. — 51. Alia ad rem, ad n. 61.

ranensi, sess. XXI, pro Tertiariis viris sunt, quod *collegialiter* vivant, seu cum claustralibus habitent, ibi: *Collegialiter autem viventes, seu cum claustralibus habitantes*, et pro Tertiariis mulieribus, ut ibi sequitur: « At mulieres virginalem seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto et sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiarie Regulæ habitum gestant, gaudere debeant. » Et in alia constitutione incip. *Nuper in concilio Lateranensi* edita die 1 Martii 1518, sic declarat: « Nos ad tollendum omne dubium, motu

proprio et ex certa scientia, et de Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie decernimus et declaramus quod in præmissis de voto solemnè religionis minime intelligi debeat, ita ut mulieres virginalem seu cælibem vitam simpliciter voventes etiam in consanguineorum et affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, et privilegiis, et immunitatibus prædictis in omnibus, et per omnia frui et gaudere debeant. »

(3. Supradictæ Pontificæ dispositioni inherendo sacræ Congr. Episcop. et Regul., sub die 20 Decemb. 1616 innovans et confirmans decreta sacræ Congr. Concilii ad id edita statuit, ut sequitur:

« Sacra congregatio cardinalium negotiis Episcop. et Regul. præposita ad tollendas omnes contentiones inter episcopos et superiores regulares super immunitates et exemptiones Tertiariarum, quæ in privatis domibus degunt, vulgo *Bizzocche*, seu alio quovis nomine nuncupatarum, in primis, et ante omnia in memoriis revocat ea, quæ sacræ congregatio Concilii in eadem sententia respondit, videlicet:

« § 1. Sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum sæpius respondit minime posse sacerdotes regulares mulierum Tertii Ordinis, quas de penitentia, vel Bizzochas vocant, confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab ordinario approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas, quemadmodum nec posse illis sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum administrare in die Paschatis Resurrectionis SS. D. nostri Jesu Christi.

« § 2. Verum quoad sepulturam atque alia privilegia, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatis, aliosque similes, ita demum Ordinis, cujus Tertiarie Regulæ habitum assumpserunt, privilegiis potiri, et ab ordinarii jurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter vivant, aut cum claustralibus habitent, mulieres virginalem seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, et sub habitu vitam traduxerint quemadmodum cavetur constitut. concil. *Lateranen.* sub Leone X, quæ habetur sess. XI in fine.

« § 3. Hoc autem voto mulierum alia duo scilicet paupertatis et obedientiæ nequaquam includi; quinimo hujusmodi mulieres, si virginitatem aut cælibem vitam simpliciter et expresse voverint, etiam in consanguineorum et affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, supradictis privilegiis ordinis, cujus Tertiarie Regulæ habitum deferunt, exemptioneque ab ordinarii jurisdictione frui debere, ut item Leo postea declaravit constitut. edita 1 Martii 1518.

« § 4. An autem prædictæ qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant, ordinarii loci esse judicium.

« § 5. Præterea, si contingat aliquas ex prædictis Tertiariis sine sepultura electione decedere, eas sic decedentes, ita demum in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, si in ipsis earum communis

sepultura reperitur, sin minus in ecclesiis parochialibus sepeliendas esse decernit.

« Superioribus autem regularibus sufficienti facultate ad id a Sancta Sede Apostolica suffultis (Capuccinis exceptis) libere mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere; non autem ad habitum admittendas et recipiendas esse, nisi probatæ vitæ ac bonis moribus præditas, ac in ætate saltem quadraginta annorum constitutas, quæ de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris quam cum consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent, et ab ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis, prævio examine diligenti, sibi constiterit.

« § 6. Verum in hujusmodi habitu concedendo et respective deferendo, omnino a velo supra caput, quod *superjectum* vocant, et a pectorali quod vulgo dicitur *sottogola*, et a patientia abstinendum esse; quinimo eas, quæ supradicta tria, vel aliquod ipsorum deferre comprehensæ fuerint, illa dimittere etiam per censuras ecclesiasticas ab ordinariis locorum compellendas esse decernit.

« § 7. Supradictis vero decretis mulieres Tertii Ordinis, quæ collegialiter vivunt, non comprehendi, quinimo eas dispositioni constitutionis Pii V, editæ Romæ anno 1566, 14 Kalend. Julii, quæ incipit *Cura pastoralis*, etc.; penitus subjacere expresse declarat. Non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus.

« Dat. Romæ 20 Decembr. 1616. »

(4. Ex quibus clare patet quod soli illi Tertiarii viri gaudent privilegiis sui ordinis, et exemptione ab ordinarii jurisdictione, qui *collegialiter* vivunt, id est qui vivunt in aliqua communi domo in sæculo aut collegio sub habitu et Regula Tertiariorum approbata a Sancta Sede, aut cum claustralibus habitant, id est qui dicto habitu et Regula Tertiariorum morantur intra septa sub obedientia superioris suæ religionis, ut recte explicat Donatus, *Prax. rer. regular.*, tom. II, tract. 17, quæst. 3, n. 2 et 3, et alii passim, id aperte colligentes ex verbis citatæ constitut. Leonis X, incip. *Dum intra*, et ex verbis adducti decreti, § 2.

(5. Item ex suprapositis clare patet quod solæ illæ Tertiariæ mulieres gaudent dictis privilegiis et exemptione, quæ virginalem seu cælibem, aut castam vidualem vitam ducent in domibus suis, aut suorum consanguineorum vel affinium, facto tamen prius voto simplici in manu sui superioris vidualem sub habitu et Regula proprii ordinis: non autem ad id requiritur, quod dictæ Tertiariæ, Bizzochæ, seu Pizzochæ, seu Pizzocheræ, Mantellatæ, Corrigiatæ, aliæque similes *collegialiter*, ut Tertiarii viri, vivunt, aut cum claustralibus habitent, ut recte notat Donatus, *loc. cit.*, n. 4, et alii passim id clare desumentes ex verbis expressis

citatae constituit. Leonis X incip. *Dum intra*, et citat. alterius constitutionis ejusdem Pontificis incip. *Nuper in concil. Lateranensi*, et ex verbis adducti decreti, § 2 et 3.

(6. Ut praedictae Tertiariae gaudeant omnino privilegii sui ordinis et exemptione ab ordinarii jurisdictione, requiritur etiam quod a superioribus regularibus recipiantur et admittantur ad habitum de expressa licentia ordinarii loci, et sint in aetate quadraginta annorum, probatae vitae, ac bonis moribus praeditae, et habeant de proprio, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam cum consanguineis vel affinis in primo tantum gradu conjunctis cohabitent. Sic expresse statuitur in adducto decreto § 5, verb. *Superioribus autem*.

(7. An autem praedictae qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant, spectat ad ordinarii loci id declarare. Sic expresse cit. decret. § 4, *vide supra*.

(8. Unde ad id Monacell., tom. I, tit. 6, formul. 15, n. 1; card. Petra, tom. IV *Comm.* ad const. 14 Martini V, n. 21, tradunt sequentem formulam:

« Dilecta Nobis in Christo N., salutem et benedictionem in Domino.

« Ut tu, quae bonis moribus imbuta, bonaeque frugis, ac laudabilis vitae existis, in aetate annorum quadraginta constituta, propria bona, ex quorum fructibus honeste vivere vales, possides, et non cum aliis viris quam cum tuis consanguineis vel affinis in primo tantum gradu conjunctis habitas, prout haec omnia Nobis praevia informatione constare fecisti, habitum Tertii Ordinis S. P. N. quem postulasti, induere possis, per R. P. N. ordinis provinciales illum tibi conferendi licentiam et facultatem concedimus et impertimur. In quorum, etc. Dat., etc.

« N. episcopus N. »

(9. An autem, si omnia praedicta requisita in allato decreto non servantur, professio sit nulla, variant doctores. Lezana enim *Regular. seu de casibus conscientiae ad personas religiosas utriusque sexus*, tit. *De Tertiariis Regul. eorumque privil.*, cap. 4, n. 4, et alii, dicunt professionem adhuc esse validam, ex eo quod in dicto decreto non adsit clausula irritans, nec sacra congregatio usa fuerit verbis *Non possunt admitti nisi*, etc., sed verbo *Non admittantur*, et proinde actus admissionis dicendus est illicitus, non autem nullus. De Angelis vero, *Opusc. de Tertiariis*, post tract. *De expens. et melioram.*, n. 14 et seq., et alii docent oppositum, ex eo quod requisita sint de forma professionis, ibi: *et ab ordinario loci licentia prius impetrata*, sicque admittit superioribus regularibus aliter habitum ipsis conferendi facultatem, et proinde fecit, ut Tertiariae a non habente facultatem habitum obtinerent. At placet sententia quam docent cardinal. Petra, *loc. cit.*, n. 23, dicens quod dictum decretum duas habet partes: unam scilicet de contentis in Bulla Leonis X quoad habi-

tus assumptionem et votum, quae cum essentialiter requirantur ad dictam professionem, certum est quod si unum ex istis deficiat, professio sit nulla. Sacra congregat. Immunit., in *Asculana* 8 Augusti 1702, de quadam Tertiaria, quae receperat quidem habitum, sed non emiserat explicitum votum castitatis, licet crederet teneri ad ejus observantiam ex dicto religioso tradentis habitum, accusata de infanticidio, censuit non gaudere privilegio fori; verum dicta sacra congregat. supplicavit Sanctissimum pro aliquo commiseratione, ne deveniretur ad poenam ultimi supplicii. Sic cardin. Petra, *loc. citato*, ex Riccio *Synopsi*, verb. *Tertiariae*, n. 9. Et aliam habet partem de aliis contentis in allato decreto generali § 5, verb. *Superioribus*, quae non important nullitatem professionis; unde si aliquid ipsis deficiat, adhuc Tertiaria gaudet privilegio; hinc sacra congregat. Immunit., in *Spoletana* 12 Septembr. 1684, de quadam Tertiaria, quae emiserat quidem professionem, sed solum in anno vicesimo octavo contra allatum decretum requirens aetatem quadraginta annorum, censuit hoc non obstante, adhuc ipsam gaudere privilegio fori. Card. Petra, *loc. cit.*, ex Riccio, *loc. cit.*, n. 8.

(10. Tertiariae habentes dicta requisita gaudent privilegio fori et exemptionis a gabellis. Sic saepius respondit sacra congregat. Immunit., et signanter in *Neocastrin.* 16 Julii 1626, in *Salernit.* 29 Maii 1629, et in *Interamnen.* 10 Novemb. 1638, apud Monacell., tom. I, tit. 6, formul. 14, n. 1. Etiamsi votum emiserint post motam litem, ut censuit eadem sacra congregat. Immunit., in *dicta Interamnen.*, apud Riccium in *Synopsi*, verb. *Tertiariae*, n. 3. (11. Unde ipsae, uti exemptae, etiam a jurisdictione ordinarii, ut patet expresse ex § 3 allati decreti generalis, conveniri debent coram conservatore illius ordinis, cujus habitum deferunt, ut recte observat Matthaeus, *Offic. curiae*, c. 53, sub n. 4, vers. *Exempto*. (12. Ubi n. 5, ex Fagnan. in cap. *Nullus*, De foro competent., n. 65, recte subjungit gaudere etiam privilegio canonis, et cum multis censet cardin. Petra, *loc. cit.*, n. 10.

(13. Tertiariae, si habent requisita necessaria constitutionis Leonis X, non sunt molestandae pro solutione oneris, ut dicitur, *delle Bocche*. Sic sac. congregat. Immunit., in *Firmana* 21 Februar. 1699, lib. II *Decret.* Vallem., pag. 204, apud Riccium, *loc. cit.*, n. 4.

(14. Item sunt immunes a gabellis etiam quoad animalia, quare injungitur episcopo, ut publicet cedulones contra datarios ob exsecutata earundem animalia. Sac. congregat. Immunitat., in *Tarentina* 27 Martii 1703, lib. III *Decret.* Vallem., pag. 482, apud Ricc., *loc. cit.*, n. 5.

(15. Tertiariae, quae vivunt in congregatione absque clausura non gaudent dictis privilegiis. Card. Petra, *loc. cit.*, n. 19; Piasec., in *Praxi*, part. II, cap. 3, art. 7, n. 13; Matthaeus, *loc. cit.*, n. 6; Nicol., in *Flosculis*, verb. *Clausura*, n. 38, et alii pas-

sim. Et ratio est, quia ipsae in *allato decreto generali* § 7, ut clare ibi patet, relinquuntur sub dispositione constitutionis S. Pii V incip. *Circa pastoralis officii*; ubi Pontifex receptiones et professiones talium Tertiariarum in congregatione absque clausura viventium omnino irritat et annullat, ibi: « Mulieres quoque, quae Tertiariae, seu de Penitentia dicuntur, cujuscunque fuerint ordinis in congregatione viventes, si et ipsae professae fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram praecise, ut praemittitur, et ipsae teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, ordinarii una cum superioribus earum hortentur et persuadere studeant, ut illud emittant et profiteantur, ac post emissionem et professionem eidem clausurae se subjiciant. Quod si recusaverint, et aliqua ex eis inventae fuerint scandalose vivere, severissime puniantur. Caeteris autem omnibus sic absque emissionem professionis, et clausura vivere omnino volentibus, interdiximus et perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum ordinem, religionem congregationemve recipiant; quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem et decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quolibet professiones et receptiones irritas facimus et annullamus; » quod et confirmavit Gregorius XIII constitutione incipiente: *Deo sacris virginibus*.

(16. Et tales Tertiarias posse hoc tempore prohiberi, ne in communitate maneant, nisi professionem cum quarto voto de perpetua clausura emittant ad formam dictae Pianae constitutionis, rescripsit sacra congregat. Episc. et Regul., in *Lucen.* 22 Januar. 1596, apud Piasec., *loc. cit.*; Matthaeus, *loc. cit.*, n. 6; card. Petra, *loc. cit.*, n. 19. Et de facto Urbanus VIII constituit. incip. *Pastoralis Romani Pontificis*, edita sub anno 1630, die 13 Januarii, suppressit et annullavit quamdam congregationem mulierum, quae in nonnullis Italiae, et ultramontanis partibus sine ulla Sedis Apostolicae approbatione ab aliquot annis in unum conveniebant vitae religiosae ducendae praetextu, peculiarem et distinctum habitum deferentes et multa pia opera peragentes; (17. unde consimiles Tertiariarum seu mulierum congregationes, vel penitus dissolvuntur, vel si tolerentur, remanent sub omnimoda jurisdictione ordinarii, ut censuit sac. congregat. concil. 27 Maii 1677, in qua quidem agebatur de congregatione duodecim mulierum Tertiariarum in oppido Cottunei emittentium quaedam vota castitatis, paupertatis et obedientiae, sed non solemnia et sine clausura; ideoque proposito dubio: « An mulieres hujusmodi subsint visitationi et correctioni episcopi? » Sacra congregatio, audito procuratore generali PP. Reformatorem S. Francis, censuit *Affirmative*. Et sacra congregat. Episcop. et Regular. confirmavit decreta episcopi facta circa dietas mulieres in *Laudensi* 27 Junii 1704. Et sac. congregat. Concilii in eadem 15 Junii 1709 mandavit, ut

episcopus procederet ad visitationem et correctionem earum. Sic expresse refert card. Petr., *loc. cit.*, n. 20. *Vide infra* n. 52.

(18. Tertiarii et Tertiariae habentes requisita constituit. Leonis X et allati decreti sacrae congregat., si decedant non sibi electa sepultura, et in Ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, communis sepultura pro ipsis reperiat, debent in ipsa sepeliri, alias sepeliri debent in parochiali. Sic expresse statuitur in *allato decreto* § 5. *Vide supra* sub n. 3.

(19. Si Tertiariae post votum castitatis et professionem emissam, aliaque requisita servantes, contrahant matrimonium, quamvis peccent, ex quo violent suum simplex votum castitatis, tamen matrimonium est validum. Sacra congregat. Concilii, in *Marsicana validitatis matrimonii* 10 Aprilis 1660, et jam prius etiam in *Tudertina seu Balneoregien.* 8 Julii 1648.

(20. Tertiariae, quamvis dicta requisita habeant, acquirere non possunt legatum relictum pro puellis professuris, quia debet dari iis, quae profitentur tria vota substantialia et solemnia. Sacra congregat. Concilii, in *Esina* 8 Junii 1696, apud Monacell., tom. I, tit. 10, formul. 19, n. 7. Et in terminis monialium, quae sunt in conservatoriis, ut non valeant habere dotes relictas pro monialibus censuit sacra congregat. Concilii, in *Spoletana* 20 Sept. 1710, denegando hujusmodi indultum conservatorio pueri Jesu.

(21. Tertiarii utriusque sexus in claustro non viventes subjiciuntur parochis quoad sacramentorum administrationem, nec possunt alteri peccata sua confiteri, quam confessorio ab episcopo approbato. *Communis*. Sic enim saepe saepius declaravit sacra congregat. Conc. et signanter in *Aquilana* 5 Febr. 1604, in *Stagnen.* 19 Decembr. 1620, et in *una civitatis Castelli* 2 Decembr. 1623, et sac. congregat. Episcop. et Regul., in *citato decreto generali*, § 1, et saepe alibi.

(22. Tertiarii utriusque sexus non habentes dicta requisita constituit. Leonis X, et allati decreti generalis sacrae congregat., habitantes in propriis domibus, sicut alii laici, non gaudent privilegio fori, nec canonis, nec exemptionis ab oneribus publicis aliorum laicorum. Sic statuit Leo X, in cit. Constit. incip. *Inter caetera*, ibi: « Fratres autem et Sorores Tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pizzocharæ, Cordellati, et alii quocunque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes, sepulturam, ubi voluerint, eligere valeant. Sed die Paschalis tantum Eucharistiam, necnon Extremam Unctionem, caeteraque ecclesiastica sacramenta (Penitentiae sacramento duntaxat excepto) a proprio sacerdote recipere, et ad onera, quae laicis incumbunt, preferenda teneantur, ac in foro saeculari coram iudicibus saecularibus conveniri possint. » Et saepe saepius decrevit sac. congregat. Immunitat. et signanter in *Eugubina* 26 Julii 1633, in *Forolivien.* 22 Novembris 1633, in *Policastr.* 19 Julii 1635, in *Tricaric.* 7 Septembr. 1638, et in *Tuder-*